

2. Rei conveniens.

3. Delectans plurimum.

(Itaq; Tropi longius petiti, qui non significantes, & qui inconvenientes, qui obscuri & obscœni, meritò rejiciendi. Quo respiciens Aristoteles calumniatorem & impostorem nominat, qui metaphoris utitur, 2. Rhet. 6.)

4. In tropo consideranda: 1. Generales affectiones. 2. Distributio five species.

5. Affectiones tropi generales tres sunt, 1. Κατάχρησις abusus. 2. ὑπερβολή superlatio. 3. Ἀλληγορία continuatio tropi.

(Dicuntur affectiones generales, quia non sunt distinctæ troporum species, sed generalia troporum accidentia, quae communiter singulis tropis, quanquam aliis crebrius, aliis rarius, accidunt. Ita exempli gratia: Allegoria non tantum est Metaphoræ affectio, sed & Metonymiæ, sed & Ironiæ, sed & Synecdoches. Catachresis non tantum est Synecdoches, sed & Metonymiæ, Ironiæ & Metaphoræ, &c. Communes autem Troporum affectiones distinctas eorundem species constituere non possunt. Ideoq; nec Catachresis, Hyperbole & Allegoria specie distincti Tropi à Meton. Iron. Metaph. & Synecd. esse possunt. Vbi NOTA I. promiscuè à quibusdam dici Catachresin Synecdochicam (quod scilicet ad Synecdochen pertineat) & Synecdochen Catachresticam (quod scilicet ei Catachresis accidat) item Allegoriam Metaphoricam, & Metaphoram Allegoricam: sed tamen quia hyperbole, Catachresis & Allegoria tropi sunt accidentia, rectius dicitur Synecdoche Catachrestica: Metaphora Allegorica: Ironia hyperbolica, &c. Quia accidentia rectè attribuuntur subjectis. Nota II. Tribus his affectionibus troporum annumerari etiam ἔμφασιν & μείωσιν. At istæ distinctæ affectiones non sunt. Ἐμφασιν enim nonnunquam est sine tropo, & est affectio figura Grammatica. Si tropica est ad hyperbolen præcipuè referripotest, ut